



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

5. De perfectione infinita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60588](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60588)

MEDITATIO V.

Quòd Deus sit infinite perfectus.

PUNCTUM PRIMUM.

Perfectum dicitur, cui nihil deest, quòd ei communicari possit, & debeat. Deus autem procul dubio perfectus est, ac proinde habet quæ ei convenire possunt: convenit autem ipsi omnis omnino ratio entis, quo fit ut omnis in illo sit; si quidem est eius perfectum, cui nihil deest, quod ad ejus perfectionem faciat. Differt igitur à creatura quacunque, etiam possibili, quòd hæc, cum limitata sit, perficitur certis rationibus: Deus autem cum sit ens illimitatum, non potest concipi perfectus, nisi omnia in se contineat. Quare dicitur: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Deus meus, & omnia, cur quæram aliquid extra te, quando in te habeo omnia? In Deo igitur sunt tanquam in ente simpliciter perfecto, & simul tanquam in idea, & principio efficiente, ex quo omnia. Agit enim unumquodque, secundum quod habet in se, quia nemo dat quod non habet: habet autem Deus omnia eminentiori modo, quam sint in seipsis.

Deus perfectissimus.

Rom. 11. 36.

PUNCTUM II.

Et reliqua hujus Medit. Speciatim in Deo sunt omnes perfectiones corporum inanimatorum, ac proinde potest sine illis agere, quicquid in Deo sunt eminenter perfectiones creaturarum.

In Deo sunt eminenter perfectiones creaturarum.

quicquid illa agunt. Deinde viventium, sentientium, & intellectualium creaturarum: omnes autem sunt in Deo una, simplex, infinitaque perfectio, uti in aureo nummo continentur multi minuti. Nam si distinguerentur, una excluderet alteram, & singulæ finitæ essent & limitatæ. Sic enitar omnes meas actiones, quasi unam facere per intentionem, qua soli Deo placere in omnibus velim. *Si oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit.* Item in quovis bono opere plures jungam affectus bonos, qui me ad id impellant, ut unica actio sit multiplex virtus.

Matt.
6. 21.

MEDITATIO VI.

Quòd Deus sit summè bonus.

Gen. 1.
31. **B**onitas est duplex, naturalis & moralis. De priori: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Habebant scilicet, quicquid naturæ cujusque conveniebat, quo fiebant amabilia. Moralis autem bonitas inest actionibus liberis, ut debitè fiant, & ex recta ratione. Cæterum Deo hæc etiam bonitas est naturalis, & essentialis, cum homini sit adventitia, ab ea que possit deflectere.

PUNCTUM PRIMUM.

1.
Dei bonitas in rebus.

Quòd Deus est summè & infinitè bonus. 1.
Quia omnem rationem bonitatis in se con-